



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. III. Responsio ad repraehensionem interpretationis in epistola Anacleti, Cephas, id est, caput: de consuetudine scripturarum in mutandis obscuris verbis in clariora secundùm vsum vulgi, & de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

deorum prophetam dixit Aggæū, vt erant ceteri prophetae. verus enim propheta, qui est Christus Deus noster, non Iudeorum tantum propheta, sed & gentium erat: sicut neque Deus tantum Iudeorum, sicut Apost. ait, immo & gentium. Ergo vel ex hoc solo verbo prophetae pro Christo, reliqua quae de verbis in his epistolis Pont. Apostolicorum Magd. notantur, quam prudenter, verè, & consideratè notantur, facile existimari poterit ab ijs, qui eorum praecipuum iudiciū, & ignorantiam ac malitiam imitari noluerint. Postremò, vt hunc locum de genere sermonis minus Latini absoluaui, respondeat tandem, quare ad negandum has epistolas, plus apud eos valeat genus sermonis minus Latini, quam valeat ad probandum eas vis dicendi & grauitas, atque sapientia, quae est, vt summus orator ait, eloquentiae fundamentum? An non vocabant Lycaones Paulum apostolum, propter vim dicendi, Mercurium, tamen si sermone imperitum? immo nouit etiam Cicero aetate sua, vt ipse narrat, qui essent eloquentes, tamen si inquinatè loquerentur: & alios item callidos, sed impolitos, & consultò rudium similes & imperitorum, vt idem in Oratore ait. Si igitur illo tempore cum Latinus sermo florebat, tamè Latine loqui à plerisque negligebatur, vt in eodem Oratore Cicero testatur: quid mirum, si à pontificibus illis viris Apostolicis & quidem de industria negligeretur, qui ab Apostolo didicerant, non in persuasibilibus humane sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus & virtute niti? qui quidem imperiti sermone, sed non scientia, ad exemplum Apostoli videri vellent, nè in sapientia verbi crux Christi euacuaretur? praesertim cum intelligerent sapientissimi viri, quod Ecclesiastes diuino spiritu admonuit, quantum homines eloquentiae gloriae in verborum inuentione, elegancia, & electione sectarentur, naturam tamen rerum, mutatione nominum mutari non posse, ac proinde omnem de eis contentione vanissimam esse: id enim significat, vt quidam veteres interpretati sunt, illud obscure scriptum, Quod fuit, iam vocatum esse nomen eius: & non posse hominem cum fortiore se contendere: ac verba esse plurima, multamque habentia in disputando vanitatem. Sed pergamus iam ad alias notas maiores secundi loci, tanquam ad grauiora crimina. Vereor enim, nè nimis multa responsa sint ad tam leuia & minuta, & vt antea dixi, ridicula, quae in primū locum congesseunt. In multis, inquit, epistolis scriptura ineptè & violentè citatur. nihil hinc respondebo Magdeburgensibus, quousque proferant nobis, quoniam illae scripturae violentè citentur. hoc tantum dicam hinc, cum ipsi paucissima notauerint, credo astutè cauisse, nè in pluribus de inscitia redarguerentur, si plura notassent, vt quidem manifestè in ijs ipsis paucissimis, quae notantur, locis suis à nobis redarguentur.

Responsio ad reprehensionem interpretationis in epistola Anacleti Cephæ, ad eam, caput: de consuetudine scripturarum in mutandis obscuris verbis in clariora secundum usum vulgi, & de consuetudine ecclesiastica & antiquissima similis interpretationis in vocabulo Pascha, ex obseruatione Graecae, Naz. &

X

2

quo.

quomodo Dionysius Areop. & Optatus Afer, similiter interpretati sunt Cephas, & de simili interpretatione aliorum verborum apud magnos & antiquos auctores.

Cap. 3.

Deinde, Anacletus, inquit, epistola tertia Cephas indoctissime & insulsiſſime caput, & principium, interpretatur.]

Sanè quidè non mirum est de Magdeburgensibus, fatendum est enim Verum, si, qua ratione hæc interpretatio constaret, non intellexerunt homines alioqui per multos auctores vagati. intelligant ergò hanc verbi Cephæ interpretationem, non carere exemplis & imitatione scripturæ sanctæ, ac consuetudine catholice ecclesiæ. Interpretes enim septuaginta, quos antiqui patres diuino spiritu interpretatos esse veteres scripturas affirmant, & quorum interpretatione propter diuinam eius auctoritatē sancti Apostoli utebantur, quibusdam nominibus vsi sunt secundum consuetudinē & opinionē vulgi, tanquā vulgo notioribus, vt nomine Orionis in Esaia, vt in eodē loco B. Cyrillus obseruauit: & paulò pòst nomine Syrenarum, quod Theodoretus quoq; ibidē notaui: & in 2. lib. Reg. nomine Titanū, & in extremo cap. lib. Iob, vnam ex tribus eius filijs fœminis interpretati sunt, vocatam esse cornu Amaltheæ, nomine ex consuetudine ac opinione vulgi sumpto & accommodato, tanquā notiore, *ἡ παράστασις τῆς ἰνδουμονίας*, vt notaui Olympiodorus in eodē loco, id est, ad declarandam ac repræsentandā felicitatem sancti Iob, cui Deus fortunas omnes duplicauit: & apud Paulū in epist. ad Galat. fascinum (inquit Hierony.) dignè Paulo, debemus exponere, non quòd scierit esse fascinum, qui vulgò putatur nocere, sed vsus sermone fit triuij, & verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit. Hanc verborum consuetudinem Eucherius quoq; Lugdunensis inter Latinos ante mille centum annos obseruauit. Sic enim ait in libro de questionibus veteris testamenti: Quid, inquit, sibi vult, quod in Iob, auctorum secularium consuetudine, legimus Pleiadas, Oriona, Arcturum? Respondet, nō q̄ his apud Hebræos nominibus censeantur, sed, vt apud nos horum siderum significatio posset esse manifestior. Deindè subiungit: Itaq; hæc translator appellare voluit, vt vsus gentilitatis inuenerat. Illud quoquē, inquit, generaliter obseruandum est, quòd etiam Apostoli & Apostolici viri, in epistolis suis, scribentes ad populos, abutuntur interdum his testimonijs, quæ videbantur diuulgata per populos. Hactenus Eucherius. Hoc ergò & nos cum sancto Eucherio, in scripturis sanctis exercitatisſimo, ad repræhensionē istorum in interpretatione Cephæ, respondemus vsus esse de industria ac prudentissimè Pontificem Anacletū interpretatione per populos diuulgata, ex consuetudine, inquam, atq; opinione vulgi, exemplo sanctarum scripturarū vsus fuisse in interpretatione nominis Cephæ, nō tanquā Syri, sed tanquā ex Græco formati, propter maiore claritatē. Cū enim tam nota esset tēporibus Anacleti apud oēs lingua Græca, q̄ est modò Latina, ac fortasè magis, Syriacam verò paucissimi ac rarissimi, vt nūc, intelligerēt, ita vt, cū audirēt

nomen

Quibus nominibus vsa sit scriptura sancta secundum opinionem vulgi.
Esa. 3.
2. Reg. 23.
Iob 42.
Cyrillus.
Theodoretus.
Olympiodorus.

Eucherius.

nomen Cephæ, statim omnes ἀπὸ κεφαλῆς, id est, à capite dictum existima-
rent: quid prudentius facere potuit aut debuit, quàm sic, propter facilita-
tem intelligendi, secundùm consuetudinem vulgi interpretari in ea episto-
la, quæ ab omnibus vbiqùè legenda erat? præsertim cùm tam necessaria &
vtilis esset ista verbi Cephæ clarior interpretatio, vt scilicet facilè omnes
intelligerent, caput esse Petrum, sicut præ se ferebat ipsa, quæ secundùm
consuetudinem & opinionem vulgi magis in promptu erat, verbi Cephæ
interpretatio. Immo accedit etiam huc exemplum euangelistarum, quos
aliquandò non ex ipsa veritate rei, sed ex vulgi consuetudine & opinione
nomen sumpsisse, author est Magnetes vetustissimus scriptor ecclesiasticus
lib. 2. & 5. quos contra Theosthenem gentilem, discrepantiam euangelista-
rum & alia nobis falsò in Euangelio obijcientem, scripsit: ait enim: Pro eo,
quòd vnus Euangelista dixit, calamo spongiam circumponetes: dixisse ali-
um, propter similitudinem arbuti, hyssopo circumponentes: cùm dicen-
dum, inquit, esset calamo. Itè, quòd vnus Euangelista dixit, Vinum, rursùs
dictum esse acetum in cruce, (ex eodem enim vase posito hauserunt, cùm
peruentum est ad Caluarium, & in cruce) præsertim, inquit, cùm legem hi-
storix Euangelista seruarent: nihilq; vltra scriberent, quàm quod tunc di-
cebatur in illo tumultu ac furore. Sic enim existimârunt fore, vt historia
omni suspicione careret, ἡ μὴ περιεργότερον ἀλλ' ἀπλαστον ἰνρεθίη τῆς ἱστορίας τῆ
γράφου, id est, si litera historix non curiosa, sed simplex reperiretur. Itè Pho-
tius Constantinop. patriarcha in quæstionibus ad Amphilochium Archie-
piscopum Cyzici ait, euangelistam dæmoniacum appellâsse lunaticum,
cùm alioqui nihil mutatio lunæ in dæmoniaci efficeret, vt vulgus falsò
putabat: quia fuit, inquit, propositum illi, narrare miracula vocabulis cõ-
suetis & notis vulgo: non Atticè dicere, sed perspicuè. Similiter hæc sim-
plex interpretatio non ex natia proprietate nominis Cephæ, sed ex vulgi
opinionem & consuetudine sumpta, quam vos Magdeburgenses contra epi-
stolam Analeti obijciendam esse temerè putâstis ad probandum eam fal-
sam, argumentum potius est veritatis eius, qui enim fingit, quod alteri fal-
sò adscribat, non simplicitatem, sed artificium affectare solet: cauereq; stu-
diosè, quicquid probabiliter obijci potest, vt quod fingitur, illius verè esse
videatur, cuius esse videri vult, qui fingit. Deindè, vt ad alia exempla pro-
piora etiam proposito, veniamus: Quis ignorat, phasca verbum Hebraicū
esse, significareq; transitum, secundùm historiam, ab Aegypto ad terram
promissionis, & secundùm anagogen, ascensum à terrenis ad cælestia? Hoc
tamen verbum Hebraicum consuetudo ecclesiæ catholice quasi dictum
esset ἀπὸ τοῦ πάσχα pro nobis Christum, ἡ ἐλληνίσουσα, id est, ex Græco ducens,
ph in p. mutato, & c in ch. pro phasca pascha dixit: & tanquàm sanctio-
nem ac magis piam vocem retinuit, vt author est Gregorius Nazianzenus,
qui huius verbi mutationem in 2. sermone de pascha, obseruauit, & secu-
tus est, aitq; factum esse hoc frequenter in scripturis, vt obscuriora nomi-
na in

Magnetes.

Matth. 27.

Mar. 15.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Matth. 27.

Mar. 15.

Ioan. 19.

Quòd inter-
pretatio Ce-
phas, id est,
caput, non cas-
reat exemplis
scripturæ, &
consuetudine
ecclesiæ ca-
tholica.

De verbo pa-
scha Græco
ex Hebraico
secundum con-
suetudinem
scripturæ, au-
thore Gregor.
Nazianz.

Que ratio
fuerit ducen-
di ex Græco
verbum Syri-
acum Cephas
secundum con-
suetudinem
ecclēsiæ.

na in clariora mutantur. Cuius rei exempla sint, quæ pauld antè notauimus. Hæc ergò cum Anacletus Pontifex sanctissimus ac sapientissimus non ignoraret, non indoctè, neque insulsè, vt imperitissimi centuriatores calumniantur, sed potiùs scitè atque eruditè ad exemplum scripturæ sanctæ & ecclesiasticæ consuetudinis, Cephas verbum Syriacum, & obscurius ἀπὸ τοῦ κεφαλῆς ἑλληνισμένον, mutato λ in σ. & η in ς. syllaba detracta, caput & principium vertit. Itaque non Syriacum Cephas, sed Cephas ἑλληνισμένον, hoc est, ex Græco factum, interpretatus est Anacletus: sicut factum est ab ecclesiasticis patribus in pascha Hebraico, mutato in pascha ἑλληνισμένον, id est, ex Græco ductum. Relegant authores centuriarum, vt nobis credant, locum Gregorij Nazianzeni de consuetudine scripturæ in mutatione nominum, & de Hebraico verbo pascha, mutato in pascha Græcicum. Hunc locum Anacleti, quem Magdeburgenses ideò repræhendunt, quia non intelligunt, vel potiùs, quia nulla ratione aut modo audire volunt caput esse Pontificem Romanum, imitatus est Optatus Afer, author doctus & eloquens. ità enim inquit lib. 2. aduersùs Parmenianum, In vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vndè Cephas appellatus est: in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus seruetur. Sic quoque ante Anacletum interpretatus est Dionysius Areop. cum in diuinis nominibus c. 3. inquit: Aderant enim Iacobus. & Petrus ἡ κορυφαία καὶ πρωτεύουσα τῶν θεολόγων ἀκρότης sequens enim ἑλληνισμός, id est, Græcitatē verbi Cephas, vocauit Petrum ἀπὸ τοῦ κορυφῆς, id est, à capite coryphæum, κορυφή enim propriè significat summam partem capitis, quod ipsa etymologia declarat ἀπὸ τοῦ κάρου καὶ ὀροφῆς. Illud etiam verbum ἀκρότης capiti congruit secundum etymologiam verbi. dicitur enim ἀκρον τὸ ἄχρισ οὐ τινος οὐκ ἔστιν ἐπίκαινα, id est, summum, quòd vltra non licet progredi, quòd capiti conuenit. Igitur quia à Domino concessum est, vt esset Petrus omnium Apostolorum, ac proindè totius ecclesiæ catholicæ, super fundamentum Apostolorum & prophetarum ædificatæ caput, sapienter ac valdè piè factum est, vt ad memoriā & honorem huius principatus beati Petri, nomen eius, id est, Cephas Syriacum, mutaretur in Cephas factum ex Græco, ἀπὸ τοῦ κεφαλῆς, vt iam non solùm Cephas Petrum Syriacè declararet, sed quòd clariùs est, Græcè acceptum, caput significaret. Cum verò omnes & veterum & recentium autorum libros appellatione capitis plenos reperiamus, sitq; tam frequens & tritum, caput ecclesiæ Petrus, quis non intelligit, euenisse hîc, quòd Gregorius cognomento Theologus, in voce pascha euenisse dicit, scilicet libenter audisse omnes, Cephas à Græco ductum, tanquàm vocem magis piā, quæ Petrum caput ecclesiæ declararet: atque hinc factum esse, vt consuetudo sic verbum hoc accipiendi & interpretandi obtineret: sicut de pascha dixit Gregorius valuisse consuetudinem huius vocis πρόσ τρεχούσης τῆς πολλῶν ἀκρότης ὡς ἰνοσιβιτέρῳ τῷ ῥήματι, id est, auditu multitudinis tanquàm ad magis

magis pium verbum appropere. Ergo vt nemo catholicus audeat re-
prehendere phasē Hebraicum nomen transitus, mutatum esse secundum
Græcitatem in pascha τοῦ σωτηρίου πάθου ὄνομα, vt ait Greg. Nazianz. id est, in
nomen passionis salutaris: sic neq; Cephas Syriacum nomen Petri, mutatum
esse secundum Græcitatem in Cephas nomen capitis & Principatus Petri.
& sicut is, qui pascha interpretatur non transitus, sed passionis nomen esse,
non indoctè & insulsè interpretari dicendus est, vel Gregorio Nazianze-
no iudice, qui hanc consuetudinem verbi probat & laudat. non enim pha-
se Hebraicum, neque pascha ex Hebraico ductum, interpretatur, sed pascha
ex Hebraico, mutatione litterarum Græcum factum, & ἀπὸ τοῦ πάσχα, id est,
à patiēdo ductum: quod ipsum fecit quoque beatus Ambrosius, Grego-
rium Nazianz. imitatus, in libro de mysterio Pasche, cum ait: Quod sacrū
nomen (Pascha dicit) ab ipsius Domini passione descendit: sic qui Cephas
interpretatur caput, non est dicendus indoctè & insulsè interpretari. non
enim interpretatur Cephas Syriacum, quod nemo est, qui ignoret Petrum
significare, qui sic à Petra dictus est, cum apertè id dicat euangeliū Ioannis,
sed interpretatur Cephas κατὰ τὸν ἑλληνισμόν, ex Græco ductum. Sit aliud
exemplum similis interpretationis: Mutatum est Iesua Hebraicum nomen,
in Iesus, quod quidem qui interpretatur Saluatorem, is quidem nomen Ie-
sus, tanquam Hebraicum interpretatur. Hoc enim significat Hebraicè: qui
verò interpretati sunt medicum, aut curatorem, siue sanatorem, non indo-
ctè illi quidem, nec insulsè fecerunt, vt isti indoctissimi & insulsissimi di-
cturi sunt, quasi ignorarent Hebraicum esse nomen Iesus: sed potius ἑλλη-
στίον nomen Iesus, id est, facientes Græcum ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς mutatione lite-
rarum, scitè admodum & sapiēter ac piè interpretati sunt. Sic sanctus Epi-
phanus in Panario, cum de Nazaræis agit, interpretatus est author erudi-
tissimus: & quem satis stultum sit & absurdum, dicere, ignorasse Hebrai-
cum verbum esse Iesus, quod nemo nostrum ignorat, tametsi nullam lite-
ram Hebraicam didicerit: omnes enim hoc audiuiimus. Sed sanctus Epi-
phanus, vt dixi, nomen Iesus ἑλληνοῖς μιν ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς, interpretatus est
θεραπευτῶν, ἢ οἱ ἰατροὶ καὶ σωτηρα, id est, curatorem vel medicum, & Saluatorem:
hoc verò extremum addidit, vt interpretationem quoque nominis
Hebraici coniungerent. Hanc etiam interpretationē secutus est Philo Ale-
xandrinus: vnde primos illos Christianos, sancti Marci apud Alexandriam
discipulos, vt Eusebius & beatus Hieronymus & alij testantur, in libro
πρὸς ἑρωτητικῶν εἰς θεραπειῶν, à curandis animarum aggritudinibus vocauit,
secutus, inquam, etymologiam nominis Iesu ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς, deriuati, de alijs
enim studio vitæ & religionis horū similibus, scripsit etiam idē Philo, quos
Iesseos vocabat, siue à Iesu, quod magis credendum est: siue à Iesse, ex cuius
stirpe natus est Iesus, ducto nomine, vt ab eodem quoq; Epiphano notatū
est. Anacletus igitur & Opatus Afer non ignorarunt Syriacum esse nomen
Cephas: vel saltē hoc ignorare non potuerunt, Petrū significare, cū hoc sit
in Euan-

Quod Anacle-
tus fecit in in-
terpretatione
Cephas, non
dissimile fecerunt
Græca
doctissimi
Greg. Nazianz.
Epiphanius,
Dionysius,
Iustinus.

De diuina
prouidentia in
verbo Ce-
phas, & Ie-
sus.

2. Pet. 3.
Iud. 1.

Quo consilio
reprehendant
Magd. inter-
pretationem
verbi Cephas
id est, caput.
Ecccl. 6.
Rom. 4.

Iustinus mar-
tyr.

De mirabili
prouidentia,
qua vsus est
deus non so-
lum in rebus,
sed etiam in
nominibus.

in euangelio clarissimè expressum, sed tamen ἐξελκνίζετο verbum, vt sæpè dixi, & Græcanicum etymon secuti, tum etiam consuetudinem multitudinis, quæ in verborum vsu plurimum valet, caput interpretati sunt. Estq; hoc diuinæ prouidentia admiratione dignum, quomoddò non fortuitò, sed magno Dei consilio factum sit, vt Cephas Petrum, & idem verbum à Græco ductum, caput significaret, scilicet vt successor eius Pontifex, nomen & potestatem capitis suscipere intelligeretur. sicut consilio quoq; diuino factum est, vt Iesus Saluatorem significaret, & idem verbum ἐξελκνίζε-
μιον, significaret medicum & curatorem, vt & ipso nomine admoneremur, non solum saluare animas à peccato & diabolo, ac morte & inferno: sed omnes etiam languores animæ & corporis sanare. Scio nihil horum considerasse authores centuriarum, qui, vt hereticorum mos est, quæ non nõ-
runt, blasphemant, vt beatus Petrus de similibus dixit, si Magdeburgenses Petrum caput Ecclesiæ confiterentur, nunquam profectò de interpretatio-
ne Cephæ in caput, disceptandum esse putarent. Nunc verò hoc agunt & moliuntur, vt, sublato verbo Cephæ Græcanico, tollatur res, id est, caput. Hoc est eorum consilium, quod contra Dominum ineunt, qui, vt ait Esaias, omnia vocat ex nomine suo: & si quid fuit, vt ait Ecclesiastes, iam vocatù est ab eo nomen eius: id est, simul atquè facta sunt, habuerunt singula nomina sibi aptum, quod nemo possit mutare, quia ipse nouit omnia, antequàm sint, qui vocat, sicuti Apostolus ait, ea, quæ non sunt, tanquàm ea, quæ sunt: neque potest vlla varietate linguarum mutari ab vlllo, quod Dominus, secundum naturam eius vocare voluit. Deniquè, vt hunc tandem locum finiam, non est dissimile, quod Iustinus Martyr fecit, cui non potest exprobrari Græcæ linguæ inscitia: quia enim Romani ad accusandum & damnandum Christianos, non putabant inquirendum esse in eorum vitam & mores, sed satis esse, nomen tantum Christiani deferre, idcirco nomen Christi, quod probè alioqui sciebat, vntum significare, hoc interim dissimulans, ad vsu suum & Christianorum defensionem scitè accommodauit, indè enim parùm deflexo nomine, vnus scilicet literæ mutatione, quasi χριστός diceretur, alioqui, inquit, quòd ad nostram appellationem attinet, sumus χριστότατοι, id est, commodissimi: ea enim docebant Christiani, vt idem Iustinus ait, quæ si seruarentur, summa pax & innocentia in Rep. futura esset, quo nihil esse poterat vtilius. Idem rursus eis, qui obijciebant, eos, qui ante Christum natum, vtcunquè vixissent, extra culpam esse, hoc enim eos accusare posse, quòd nondum Christus venisset, respondet, omne genus humanum particeps esse Christi vnigeniti Dei: & qui cum ratione vixissent, Christianos fuisse: qui verò ante Christum natum sine ratione vixissent, omnes fuisse ἀχριστοὺς & Christi inimicos, id est, inutiles ac sine Christo. Mirabili itaque prouidentia non solum in rebus, sed in nominibus quoquè rerum, in quibus tantam gloriam & splendorem Græci fitum esse existimabant, vsus est Deus, vt hîc etià cernitur, voluit enim, vt Chri-
stus

us, vna litera mutata, bonum quoque significaret, vt admoneremur etiam ex ipso nomine, cum Christum Dominum dicimus, bonum Dominum dicere: quæ est summa consolatio & lætitia ingens seruorum, scire se habere bonum Dominum. hinc illud in propheta, Gustate, & videte, quàm bonus Dominus. quod beatus Petrus imitatus & mutuatus est, inquit: Si tamen gustatis, quàm bonus Dominus. vbi, vt hoc quoque obiter obseruemus, quidam veteres legunt, si tamen gustatis, quod Christus Dominus: qui enim hoc gustant, iidem gustant, quàm bonus Dominus: nec enim separari potest bonitas ab hoc Domino, vt ab alijs dominis potest. Sic igitur Anacletus, quanuis non ignoraret, Cephan Petrum significare, ad vsum tamen suum, id est, ad defensionem Principatus beati Petri, scite & prudenter eiusdem verbi ἰσακλιτισμόν accommodauit, in quo nihil noui, aut non magnis authoribus postea vsitatum, fecit.

Responsio ex scripturis sanctis ad reprehensionem interpretationis, Super hanc petram, id est, super Petrum, vel Sedem Apostolicam: & de interpretatione illius loci, Tu autem conuersus, confirma fratres tuos: & de exemplo Petri pro firmandis fratribus in fide, in epistola ad Galatas: & quomodo Paulus fidem Euangelij, quod prædicabat, cum fide Petri conculit ad firmandam fidem suam: & de traditione Apostolica conferendi fidem cum Pontifice Romano per Synodicas literas ad eum, & de Patriarchis, qui hoc fecerunt ad confirmandam fidem suam.

Cap. 4.

Sequitur iam, vt respondeamus ad illud, quod in prima Anacleti epistola de violenta scripturæ sanctæ interpretatione accusant, Super Sedem Apostolicam vniuersam ecclesiam constitutam esse, dicente Domino ad beatum Principem Apostolorum Petrum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: Hoc enim exemplum posuerunt scripturæ ineptæ & violentæ, vt ipsi aiunt, citatæ. Mirum profecto, si aptè & cõuenienter citari faterentur Ecclesiæ Romanæ hostes, & principatus pontificalis coniurati oppugnatores. Dicam hinc, quod Firmianus Lactantius in libro de vera sapientia, scripsit: Quanquam apud bonos Iudices satis habeant firmitatis, vel testimonia sine argumentis, vel argumenta sine testimonijs: nos tamen non contenti alterutro sumus, cū suppetat nobis vtrūque, nè cui peruersè ingenioso, aut non intelligendi, aut contrà differendi locum relinquamus. Negant isti ecclesiam catholicam ædificatam esse super hanc petram, id est, super Sedem Apostolicam: Sed nos eos primùm argumentis scripturæ sanctæ, cum ratione ipsa consentientibus, reuincemus, deindè testimonijs veterum patrum. Quæro igitur, cum Christus orauit, nè deficeret fides Petri, exauditus ne est pro sua reuerentia, an non? Si non exauditus est, frustra orauit: non benè petiuit, & ideo non impetravit: defecit fides Petri. Quis ista concedat? nisi qui neget Christum Dei filium?

De ecclesia catholica firmata super sedem Apostolicam, ex locis scripturæ sanctæ.

Y

lium?